Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cit preteritum. quod iam non est. nisi quia in animo qui illud agit tria
sunt. Nam et exspectat. et attendit et meminit. ut
id quod exspectat. per id quod attendit. transeat in id quod
meminerit. Quis igitur negat futura nondum esse. Sed tamen iam est in
animo exspectacio futurorum. Et quis negat preterita iam
non esse. Sed tamen adhuc est in memoria preteritorum. Et quis
negat presens tempus carere spacio. quia in puncto pre
terit. Sed tamen perdurat attentio per quam pergat ad esse quod ab
erit. Non igitur longum tempus futurum quod non est sed
longum futurum. longa exspectacio futuri est. Neque lon
gum preteritum tempus. quod non est sed longum preteritum. lon
ga memoria preteriti est. Dicturus sum canticum. quod novi
ante quam incipiam in totum exspectacio mea tenditur.
Cum autem cepero quantum ex illa in preteritum decerpsero ten
ditur et memoria mea atque distenditur vita huius actio
nis mee in memoriam. propter quod dixi. et in spectacionem
propter quod dicturus sum. Presens tamen adest attencio mea.
per quam transiecit quod erat futurum ut fiat preteritum. Quod
quanto magis agitur et agitur. tanto breviata exspecta
cione prolongatur memoria. donec tota exspectacio
consumatur. Cum tota illa actio finita transierit in me
moriam. et quod in toto cantico. hoc in singulis parti
culis eius fit. atque in singulis syllabis eius. Hoc in actione
longiore. cuius forte particula est illud canticum. hoc
in tota vita hominis. cuius partes sunt omnes actiones
hominis. Hoc in toto seculo filiorum hominum. cuius partes
sunt omnes vite hominum. Sed quoniam melior est misericordia tua super
vitas. ecce distentio est vita mea. et me suscepit
dextera tua. in domino meo mediatore filio hominis.